

Thomas Lindemann Wilhelm Bekendorf

Disputatio De Mutuo : Fiet Disputatio die 11. Martii, in auditorio magno, initio ad horam 6. matutinam facto

Rostochii: Typis Myliandrinis, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728320339>

Druck Freier  Zugang



Th. Lindemann (W. Beckendorf) Vert. /a

R. U. un. 1608.

24

DISPUTATIO
DE
MUTUO.

Quam D. O. M. A.

PRÆSIDE
CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,
Dn: THOMA LINDEMANNO,
J. U. Doctore, Professore, pro tempore
Magnifico RECTORE &
VICEDECANO,

Pro gradu Licentiæ in utroq; jure
consequendo

discutiendam proponit
WILHELMVS BEKENDORP
Hamburg.

*Fiet Disputatio die 11. Martij, in auditorio
magno, initio ad horam 6. matuti-
nam facta.*

Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1608.

PHYSIC

DE

M U I U O

Quam D. G. M. A.

DEPARTMENT OF CHEMISTRY

DR. THOMAS MURPHY

J. B. ...

LECTURE

...

To find the ...

...

...

WILHELM ...

...

...

...

...

...

...

...

...



T H E S I S I.



Mutuuum est contractus juris gentium, quo quantitas alicui verè vel fictè datur sub lege ejusdem in genere restituendæ.

I I.

Dicitur mutuuum quod de meo tuum fiat: Et vel statim ab initio pecuniæ numeratione contrahitur, vel ex post facto conciliatur.

I I I.

Statim ab initio mutuuum contrahitur, cum res fungibiles propriæ mutuo dantur ab eo, qui jus dandi habet.

I V.

Ex post facto mutuuum conciliatur, veluti consumptione, cum nummi alieni, vel etjam proprij ab eo tamen, qui jus dandi non habet, credendi animo dantur, ijq; consumuntur.

V.

Nam si non dominus tibi nummos credendi animo dedit, accipientis nō facit, sed consumptis eis nascitur condictio.

V I.

Unde Papinianus libro 8. Quæstionum ait. Si alienos nummos tibi mutuo dedi, non ante mihi teneris, quam eos cōsumpseris quod si per partes eos consumpseris; an per partes tibi condicam, quærit. & ait condicturum, si admonitus alienos nummos fuisse, ideo per partem condico, quia nondum totos consumptos compereram.

V I I.

Sed ut mutuuum hoc modo concilietur bona fide consumptionem fieri necesse est.

I I X.

Mutuuum ab initio rectè dare possunt omnes, qui rei suæ administrationem habent, quiq; dominium rei mutuo datæ in

aliū transferre possunt, sive illi sint sui, sive alieni juris; ideoq; etiam servi & filijfamilias, licet ipsi patris dominiq; potestati subiecti sint, peculiares nummos mutuo dare possunt.

IX.

Præterea non tantum singulares personæ, sed etiam universitates, Ecclesiæ nempe, collegia, & civitates mutuum dare possunt.

X.

Principalibus tamen constitutionibus cavetur, ne hi, qui provinciam regunt, qui vè circa eos sunt, negotientur, mutuanve pecuniam dent, fœnusq; exerçant.

XI.

Planè mutuan pecuniam fœnebrem sumere non prohibentur.

XII.

Præsidis vero provinciæ officiales, quia perpetui sunt, mutuan pecuniam dare & accipere possunt.

XIII.

Ceterum tam suo, quam alieno nomine quis mutuan pecuniam dare potest: itaq; negotiorum gestor, procurator, tutor & curator illius nomine, cujus negotia administrant, mutuum dare possunt.

XIV.

Accipere possunt mutuum patresfamilias puberes & mentis compotes; filiosfamilias verò pecuniam numeratam mutuo accipientes Senatusconsultum Macedonianum, maxime in odium fœneratorum introductum, perpetuâ exceptione tuetur; & ita quidem, ut filiusfamilias huic Senatusconsulto renunciare nequeat.

XV.

Quod Senatusconsultum ad filias quoq; pertinet, quibus minus quam filijsfamilias credere licet.

XVI.

Si filiusfamilias contra Senatusconsultum mutuatus, pecuniam solverit, patri nummos vendicanti nulla exceptio obijcie-

hijcietur, sed si fuerint consumpti à creditore nummi, cessat conditio, quoniam toties conditio datur, quoties ex causa numerati sunt nummi, ex qua actio esse potuisset; si dominium ad accipientem transisset, sed & per errorem soluti contra Senatusconsultum crediti, magis est cessare repetitionem.

XVII.

Civitas quoq; mutui datione obligatur, si ad utilitatem ejus pecuniæ versæ sunt, alioqui ipsi soli, qui contraxerunt, non civitas, tenebuntur.

XIIX.

Difficilis, & quotidiana hîc oritur quæstio, An cautio à procuratore mandatum ad exigendam vel recipiendam pecuniam habente emissa pro veritate habeatur, ita ut domino præjudicium faciat: Quod negamus.

XIX.

Consistit mutuum in his rebus, quæ pondere, numero, mensurâ consistunt: quoniam eorum datione possumus in creditum ire: quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem magis, quam in specie.

XX.

Hujusmodi sunt vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata, & res similes, quas aut numerando, aut metiendo, aut appendendo in hoc damus, ut accipientium fiant, postea alias recepturi ejusdem generis & qualitatis.

XXI.

Si tamen eadem species reddatur, mutuum nihilominus contractum fuisse intelligitur.

XXII.

Cum verò quid mutuum damus, etsi non cavimus, ut æque bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriores rem, quæ ex eodem genere sit, reddere, veluti vinum novum pro vetere.

XXIII.

Nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum

est, Id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis, & eadem bonitate solvatur, qua datum est.

XXIV.

Unde & nummos eadem bonitate, qua dati sunt, restituendos esse dicendum est.

XXV.

Et si certum auri vel argenti pondus mutuò datum sit, non cogitur creditor aureos accipere nummos, quos debitor offert, sed in massâ auri vel argenti solutio fieri debet.

XXVI.

Quærent Interpretes, An mutuum contrahatur dato grege ovium ad numerum, puta ut præstitutâ die totidem capita reddantur ejusdem naturæ & qualitatis. Et negativa verior videtur.

XXVII.

In ceteris rebus idè in creditum ire non possumus, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest.

XXVIII.

Undè pro pecuniâ numeratâ frumentum reddi non posse concludimus.

XXIX.

Imò nec pro frumento mutuo dato, æstimationem solvi posse verius credimus, nec creditorem in aliam formam nummos mutuo datos recipere si ex ea re damnum passurus sit cogendum esse asserimus.

XXX.

Sed & totum, quod datum est, reddi debet, nec compellitur creditor invitus partem accipere, cum particularis solutio non minima incommoda habeat.

XXXI.

Cumq; mutuum re contrahatur, ulterius reddi non potest quam quatenus datum est.

XXXII.

Proindè si tibi dederò decem ut novem debeas: Proculus ait,

29
ait, & rectè, non amplius te ipso jure debere quàm novem.
Sed si dederò ut undecim debeas: putat Proculus, amplius
quam decem condici non posse.

XXXIII.

Mutuum aut purè contrahitur, aut in diem, aut sub con-
ditione, sicut stipulatio. Omnia enim quæ inferi stipulatio-
nis sunt, eadem etiam possunt numerationi pecuniæ, &
ideo conditiones.

XXXIV.

Porro mutuum non statim contrahitur, ubi pecunia à me
ad te proficiscitur, verum tunc, cum eo animo tibi pecuniam
do, ut mutua fiat, & tu eadem opinione pecuniam à me acci-
pis; utrumq; enim ut mutuum contrahatur, concurrere ne-
cesse est, si alterutrum desit, mutuum contrahi non potest.

XXXV.

Nam si ego pecuniam tibi quasi donaturus dederò, tu
quasi mutuam accipias, nec donatio nec mutua pecunia erit.
quia nummi accipientis non fiunt, cum alia opinione accepe-
rit. Quare si eos consumpserit, licet conditione teneatur;
tamen doli exceptione uti poterit, quia secundum voluntatem
dantis nummi sunt consumpti.

XXXVI.

At cum contrahendi mutui animus utrinq; adest, mu-
tuum contrahitur, licet subtilitas verborum refragari non-
nunquam videatur. Si enim tibi pecuniam donavi ut tu mihi
eamdem crederes, licet hujusmodi contractus propter subtili-
tatem verborum neq; donatio sit, quia non ea mente pecu-
nia daretur, ut omnimodo penes accipientem maneret, neque
pecunia credita, quia exsolvendi causa magis daretur, quàm al-
terius obligandi, egoq; meum magis quam tuum accepisse
videor; tamen benignius est utrumq; valere.

XXXVII.

Insuper singularia quædam recepta sunt circa pecuniam
credi-

creditam, nam si tibi debitorem meum jussero dare pecuniam; obligaris mihi, quamvis nummos meos non acceperis.

XXXVIII.

Quod igitur in duabus personis recipitur, hoc & in eadem persona recipiendum est, ut cum ex causâ mandati pecuniam mihi debeas, & convenerit, ut crediti nomine eam retineas, videatur mihi data pecunia, & à me ad te profecta.

XXXIX.

Deniq; si debitor constituto tempore tantundem non restituat, creditori adversus illum datur certi conditio, à qua actione casus fortuitus, quo res mutuo accepta amissa est, non liberat debitorem.

COROLLARIA.

I.

An ex contractu litterarum ante biennium aliqua sit nata obligatio? A.

II.

An debitor elapso biennio, si probationem, pecuniam sibi non esse numeratam, in se recipere velit, sit audiendus? A.

III.

An verò eadem ratione contra apocham post 30. dierum lapsum cum onere probandi eam opponens audiendus sit inquiremus.

IV.

An exceptioni non numerata pecunia renunciari possit? N.

V.

An christiano usuras accipere liceat? A.

22 26

ait, & rectè, non amplius te ipso jure deb
Sed si dederò ut undecim debeas: puta
quam decem condici non posse.

XXXIII.

Mutuum aut purè contrahitur, aut in
ditione, sicut stipulatio. Omnia enim qua
bus possunt, eadem etiam possunt num
ideo conditiones.

XXXIV.

Porro mutuum non statim contrahitur
ad te proficiscitur, verum tunc, cum eo ar
do, ut mutua fiat, & tu eadem opinione pe
pis; utrumq; enim ut mutuum contrahat
cesse est, si alterutrum desit, mutuum cont

XXXV.

Nam si ego pecuniam tibi quasi don
quasi mutuam accipias, nec donatio nec
quia nummi accipientis non fiunt, cum al
rit. Quare si eos consumpserit, licet col
tamen doli exceptione uti poterit, quia sec
dantis nummi sunt consumpti.

XXXVI.

At cum contrahendi mutui animus
tuum contrahitur, licet subtilitas verbo
nunquam videatur. Si enim tibi pecuniar
eandem crederes, licet hujusmodi contrac
tatem verborum neq; donatio sit, quia
nia daretur, ut omnimodo penes accipient
pecunia credita, quia exsolvendi causa ma
terius obligandi, egoq; meum magis q
videor; tamen benignius est utrumq; vale

XXXVII.

Insuper singularia quædam recepta

ovem.
amplius

ab con
ationi
niæ, &

ia à me
cuniam
e acci
ere ne
test.

ro, tu
ia erit.
accepe
neatur;
ntatem

st, mu
ri non
tu mihi
subtili
e pecu
neque
quã al
cepisse

cuniam
credi-

